18.

CIPPUS
BEATIS MANIBUS
VIRI *Magnifici, Generosi ac Nobilissimi,*

DN. JOHANNIS AUSTENII,

Sacræ Regiæ Majestatis Poloniæ Burggrabii, & Reip. Thorun. Præ-Consulis meritissimi,

Ipsa Exeqviarum solennitate
d. 22. Febr. A. O. R. M. DC. XCVI.
erectus
ab

ADOLPHO ALEXANDRO de HEUCKING, *Nob. Curlando.*

ERgo tuus Vindex nunc concidit, ampla Thorunum,
Sospes qui Te humero consiliante tulit?
Ergo erit, ut posthac veniat Tibi sitqve carendum,
(O dolor! ô lacrymæ!) Consule, Patre, Viro,
AUSTENIO? cuî tot dotes, tot tantaqve dona.
Certatim largâ Dî tribuere manu;
Ut, qui cuncta velit complecti versibus, idem
Oceani fluctus enumerare velit.
Musæ Parnassi puerum pavere sub antris,
Edocuit juvenem Romula jura Themis.
Expertem fastûs mentem solertia finxit,
Hæc summi ad Templum stravit Honoris iter.
Ambitus haud illum, nec vulgi mobilis aura
Evexit, patriæ sed generosus amor,
Et censura Patrum, quos illo ex tempore nunquam
Judicii auditum est pœnituisse sui.
Nam sibi delatam sic spartam ornavit, ut ipsi
Non locus afferret, sed decus ipse loco.
Frontem præstanti morum gravitate serenam
Ipse sibi Genius legerat hospitium.
Cognitione bonâ multarum fertile rerum
Pectus erat, variis lingvaqve prompta sonis.
Non Custos Legum aut vitiorum erat acrior hostis,
Ille bonis portus, naufragiumqve malis.
Ille labentis erat spes & sacra anchora causæ,
Illius in dubiis cognita sæpè fides.
Dotibus hisce sibi decus immortale paravit,
Prussia, testis eris, tu, Leche, testis eris.
Nunc superum socius, clari nunc civis Olympi,
Nescia tristitiæ gaudia lætus agit.
Curia, sed quam te memorem, nunc orba Parente es,
Orbaqve Patrono, (pulpita flete,) pio.
Fletor patronus, fletor pater: unus ad omnes
Sat fuerit lacrymas, nam Pater ille, pater!
Curia dic tristans: Domino mandante reliquit,
Perdidit, ah fidum Patria terra patrem!
Ah lacrymosa dies, fletuqve levanda perenni,
Quæ tam præclarum sustulit hora jubar!
Rara ferent, vel lustra parem, vel secla secundum
Huîc, urnâ qui nunc hâc tumulandus erit.
Curia, dum sensus condes benefacta sub imos,
Ut fas est, illum, te quod amavit, ama.
Sparge solum foliis, monumentum construe & ejus
Esto cum serâ posteritate memor.
AUSTENIUS *vivat sospes, celebretur, ametur,*
Post mortis vigeat funera Fama Viri!

THORUNII, Imprimebat Johannes Balthasar Bresler.